



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm  
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione  
Dilvcidatvs**

**Tollenaer, Jean de**

**Antverpiæ, 1635**

Prosa Exegesis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

Buccasque mille, mille colla distendat;  
 Non ille fallat subdolo Deum fūco.  
 Iam notus olim cū futurus in siluis  
 Vel matre caule, vel puerperā quercu  
 Agrestis infans, aut bubulcus insulsus,  
 Aut contrā in ostro delicatulus pupus,  
 Aut fors in aulā spes futura sceptrorum:  
 Quodcumque tandem; at hominis obtinet nomen.  
 Licet vsque honorum plaustra, nominum rhedas,  
 Et vsque vsque splendidam trahat pompam  
 Fallacis aulæ, ac turgidis crepet buccis  
 Ceras auorum; at hominis obtinet nomen.  
 Satisne dixi follibus retundendis?  
 Quid ergo rubræ vile pondus argillæ,  
 Lutosæ terræ massa, pulueris saccus,  
 Morborum aceruus, officina factoris,  
 Spoliumque morbi, temporisque lethique  
 In præpotentem vindicem erigit cristas?  
 Et nī petacem cumulet improbis votis,  
 Velut ad tribunal iudicis diem dicit?  
 Verbisque cumulans, cassæ verba, stultarum  
 Addit querelis aggeres querelarum;  
 Orbis Monarcham, siderumque Rectorem  
 Indormientem publicæ rei culpans?  
 Quid disputando queso proficit momus?  
 Rem non metet, tam cassæ dum serit verba.

## PROSA EXEGETIS.

**E**XPOSUIT Ecclesiastes præcedenti Sectione eorum  
 vanitatem, ne dicam amentiam, qui, vñdecumque  
 spes aliqua lucri aut honoris fuerit oblata, in quilibet  
 etiam inexploratum inconsultâ cupiditate exardescunt,

Y y 2

nec

*Iniquè ho-  
mo Deo  
succenset  
propter ir-  
rità vota.*

*Herodotus  
lib. 7. Hi-  
storiar.*

*Alvarez  
Seruietus  
in litteris  
Sinensibus  
anni 1622.*

nec vllum votis suis modum statuunt: nunc eorundem arrogantiam & intolerabilem præsumptionem paucis perstringit, dum insinuat, eos, nisi voti compotes fiant, cum Deo exoptulare, & quasi iniuriam acceperint, aut exigua dignitatis eorum sit habita ratio, *iudicio contendere.* Incredibilis hic furor existimari posset, & fabulis annumeranda superbia, nisi præter antiqua recentiaque historiarum monumenta, quotidiana hanc experientia vsusque confirmaret. Quis enim ignorat Regem Persarum Xerxem, cum ex Abydeno littore Hellespontum iuxta Sestum ponte iungere meditaretur, & dominum se maris ostendere, disiectis tempestate nauibus, ira percitum, trecenta Hellesponto verbera infligi, & in eius pelagus par compedum immergi iussisse? addito insuper conuitio, Indignum esse cui vllus hominum in posterum sacrificaret.

Sed fuerit illud inusitata ambitionis ac superbiæ; hoc certè & tempore recentius est, & vsu familiaris, quòd cum Sinenses Bonziji ab idolis siue Pagodibus suis iussu Regis beneficia quædam impetrare conati essent, & in hanc rem variâ se victûs asperitate voluntariisque suppliciis afflixissent, effectu non secuto, pœnas à Pagodibus suis poposcerunt, flagellis ac fustibus in eos sæuendo, perinde ac si sensu essent ac ratione præditi. Et hæc quidem barbaræ cuiusdam dementiæ non immeritò quilibet damnabit: sed tamen an minus peccat horum temporum insolentia? Quot enim hoc tempore reperiuntur, qui si votis suis frustrati fuerint, petulantis linguæ flagello diuinam Maiestatem profcindunt, & quasuis in Deum blasphemias effutiunt? Atque vt omittam leuiculos illos, qui ad quemlibet ferè infelicitatis alexæ iactum mille iniuriis Dei nomen læerant,

rant, aut si vindictæ occasione frustrantur, Deum eiurant, & se diris omnibus dæmonibusque deuouent; quis non videat plerosque hominum, si non satis emolumentum, honoris aut compendij precibus suis piisque operibus à Deo impetrauerint, continuo à diuino obsequio cultuque desciscere, neque vllum in pietate virtutumque exercitatione operæ pretium esse situm existimare? vnde etiam tantus passim rerum diuinarum contemptus, & illæ tam profanæ voces, quas apud Malachiam legimus: *Vanus est qui seruit Deo: & quod emolumentum, quia custodiimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem edificati sunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, & salui facti sunt.*

Vnde hæc tam proiecta temeritas? aut quis ille tam impudenter arrogans, vt Deum sibi ad nutum obsequentem, votisque omnibus, licet immodicis, licet improbis, annuentem deposcere præsumat? Quicumque demum ille, aut qualis quantusque sit, nihil est cur insolecat, iam enim *vocatum est nomen eius, & scitur quod homo sit.* quasi dicat: Ipso nomine suo luteam substantiæ suæ materiam, & abiectam prodit originem, quæ sola sufficiat comprimendæ tam procaci arrogantia, tumori que retundendo. *Quid enim est homo? Ait Aristoteles: Imbecillitatis exemplar, temporis spoliū, fortunæ ludus, mutationis imago, inuidiæ & calamitatis trutina, cetera pituita & bilis. Rursus quid est homo? Ait Seneca: Imbecillum corpus, fragile, nudum, suapte naturâ inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum. Cùm benè lacertos exercuit, cuiuslibet feræ pabulum, cuiuslibet victima: ex infirmis*

Malach. 3,

14.

Quid est homo vt in Deum insurgat?

Arist. apud Stobæum Serm. 96.

Sen. Consolat. ad Marciam, c. 11.

firmis fluidisque contextum; frigoris, æstus, laboris impatiens, ipso situ & otio iturum in tabem, alimenta metuens sua, anxie sollicitæque tutelæ, precarij spiritus, & malè cohærentis. Denique, quid infirmius est homine, inquit Chrysologus, quem sensus fallit, ignorantia decipit, circumuenit iudicium, pompa lædit, tempus deserit, mutat ætas, hebetat infantia, iuuentus præcipitat, senectus frangit?

Pet. Chry-  
sologus  
Serm. 45.

Et fieri potest, ut hæc lutea massa in auctorem suum insurgat? hæc testa de Samiis terræ figulo exprobrat, non sat multa sibi ad ornatum splendoremque concedi? Quis unquam mendicus tam proiectæ fuit impudentiæ, ut quidlibet sibi deberi arbitraretur? Profectò si inops atque mendicus est, totus ex alienâ misericordiâ pendet, neque repulsam interpretari debet iniuriam, cum nihil iuris eius petitio prætendat. Quis autem coram Deo se mendicum esse infitiabitur? Si hæc ita se habent, neque rebus creatis quidquam ab auctore suo debetur, cuius tandem deinentiæ fuerit, hominem (tam infirmum animal ac miserum) *contra fortiorem se iudicio contendere?* Non is animus fuit innocentissimo Prophete Iob: cui cum non tantum ex voto non cederent omnia, sed etiam direptis opibus, abactis gregibus & armentis, totâ denique familiâ euersâ, sola sanies esset reliqua quam testâ raderet; cum Deo tamen iudicio contendere non sustinuit, sed infirmitatem suam cum diuinâ Maiestate comparans, ingenuè sapienterque professus est: *Verè scio quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore; quis restitit ei, & pacem habuit.*

Iob 9, 1.

buit. Qui transtulit montes, & nescierunt hi quos subuer-  
tit in furore suo. Qui commouet terram de loco suo, & co-  
lumna eius concutiuntur. Qui precipit Soli, & non oritur :  
& stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit celos  
solus, & graditur super fluctus maris, &c. Deus, cuius ira  
nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant or-  
bem. Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, & loquar  
verbis meis cum eo? Rectè illud inter cetera, Quid  
loquar verbis meis cum eo? quia in illâ tam stultâ ho-  
minis cum Deo expostulatione, ac tam impari con-  
gressu verba sunt plurima (nec quidquam præter ver-  
ba) multamque in disputando habentia vanitatem.



SPECV-